



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Paraphrasis Psalmorum Davidis Poetica

Buchanan, George

Argentorati, M. D. LXVIII.

VD16 B 3125

Psal. LX. Deus repulisti nos, & destruxisti nos, &c. Carm. gen. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69145](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69145)

Consume semen impium.
 Euelle stirpe ab ultima
 Iusti furoris impetu,
 Vt norit orbis ultimus
 Deum bonorum uindicem.
 A sole Eoo ad Hesperum
 Perambulabunt compita:
 Et instar oblatrantium
 Canum procaces obstrepent.
 Passim uagati pauperem
 Victum ut parent, sub uesperum
 Serum petant cubilia,
 Victus egentes pauperis.
 Ego interim Deum canam
 Fortem bonumq̄, in asperis
 Rebus suorum uindicem,
 Fidumq̄ propugnaculum.
 Deum canam, qui robore
 Me fulcit, auget uiribus,
 Benignitate subleuat,
 Tuetur ut arx ænea.

PSAL. LX. Deus repulisti nos, & destru
 xisti nos, &c. *Carm. gen. 2.*

SAncte parens nostris uitijs offensus, abactos
 Pressosq̄ duris dissipasti nos malis:
 Placatus mitisq̄ ueni, iamq̄ immemor iræ,
 Salutis auctor ad tuos reuertere.
 Omnis ager rimis te concutiente dehiscit:
 Committe rimas, refice quassatum solum.

H

Dura tuæ genti spectacula ferre dedisti
 Inebriatæ poculo formidinis:
 At trepidos tandemq; animi miserat⁹ egenos,
 Signum salutis efferes: qui te colunt,
 Veridicis freti oraclis, formidine inersum
 Erigere rursus audeant ut uerticem:
 Eripiasq; tuos gelidi formidine lethi
 Præsens, & opifer inuocantes audias.
 Audijs ex adytoq; Deus flammantis Olympi
 Vocem rependit gaudij prænunciam,
 En tibi frugiferos Sichimæ dispertiar agros:
 Vallem Sucothi metiar decempeda.
 Nonne mihi parent Iacobi pignora, quisquis
 Vel pecore tondet arua, uel uomere tecat:
 Oppida sub pedibus Syriæ calcabo superbæ,
 Moabum, Idumen, & Palæstinas domos.
 Quis mihi pãdet iter munitas ductor ad arces?
 Muros Idumes diuitis quis diruet?
 Quis nisi tu nostræ gentis Deus unice tutor,
 Qui nos premendos hostibus reliqueras,
 Offensus uitijs prauis, nec in arma ruentes
 Nostros præibas dux, ut ante, exercitus.
 Nũc pater auxiliũ rebus bonus adfer in arctis,
 Humana fallax credulos spes decipit.
 Te duce, uictrici decorati tempora lauro
 Pedibus prememus hostis arrogantiam.

PSAL. LXI. Exaudi Deus deprecationem
 meam, &c.

Carm. gen. 15.
 Audi